

Disputatio medica inauguralis, de angina inflammatoria.

Contributors

Carmichael, James.
University of Glasgow. Library

Publication/Creation

Glasguae, 1799.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/xfendcfr>

Provider

University of Glasgow

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The University of Glasgow Library. The original may be consulted at The University of Glasgow Library. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
ANGINA INFLAMMATORIA;

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE DIGNISSIMI VICE-CANCELLARII
ARCHIBALDI DAVIDSON, S. S. T. P. P.
ET COLLEGII GLASG. PRÆFECTI;

NEC NON,
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;
PRO GRADU DOCTORIS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET
LEGITIME CONSEQUENDIS,
IN COMITIIS UNIVERSITATIS GLASGUENSIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT
JACOBUS CARMICHAEL,
SCOTO-BRITANNUS.

AD DIEM IX. MAII, HORA ET LOCO SOLITIS.

GLASGUÆ:
TYPIS JACOBI MUNDELL, ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

1799.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

ANGINA INFLAMMATORIA

QUAM

PRÆSENTAT

AD DOCTORATUM MEDICINÆ

ARCHIBALD DAVISON, S.T.P.

ET COLLEGIUM CLASSE PRÆFECTUM

IN

ACADEMIA MEDICA

ET

SCIENTIARUM FACULTATIS MEDICÆ

PRO GRADU DOCTORIS

PRÆSENTAT

EXAMINANDUS

IN UNIVERSITATE

EDINBURGHENSIS

JACOBUS CARMICHAEL

EXCITO

AD HONORIS GRADUM

CLASSE

ACADEMIA

1890

AMICO CARISSIMO,
HERCULI ROSS,
DE ROSSIE,
ARMIGERO,
VIRO,
PLURIMIS VIRTUTIBUS,
PUBLICIS ATQUE PRIVATIS,
ORNATO;
OB MULTA BENEFICIA,
IN SE SUOSQUE COLLATA,
HOC OPUSCULUM,
GRATO ANIMO,
CONSECRAT
J. CARMICHAEL.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

HERCULES ROSS

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

HERCULES ROSS

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

HERCULES ROSS

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

HERCULES ROSS

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

HERCULES ROSS

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

HERCULES ROSS

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

HERCULES ROSS

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ANGINA INFLAMMATORIA.

INUTILE esset, anginæ inflammatoriæ historiam, quæ, jamdudum, bene delineata omni auctore, qui de praxi medica scripsit; et accurate depicta multis dissertationibus inauguralibus, repetere.

Si, ægri hoc morbo affecti casum, symptomata, methodum medendi, narremus, et, paucas observationes subjiciamus, sperandum, hujusce dissertationis scopum attingi.

VIR sanus, ætatis mediæ, vespere ultimi in mense Novembris, acri dolore dextræ tonsillæ repenti afficiebatur, tam celeriter crescente ut brevi salivam deglutiret difficulter.

Quatuor sanguifugis, externæ fauci statim admotis, magna sanguinis copia subducta erat.

Hydrargyri præcipitati cinerei, præsto quæ erant, deglutiebantur grana sex.

Os et guttur nitroso gargarismo lota; nulla cœna capta; utebatur pediluvio.

DIES PRIMA.

Molesta deglutitio et difficilis: vehemens cephalæa: moderata febris: fordida crusta os et lingua tecta sunt: excreatio plurima: sedes nulla; sed bene soluta erat alvus enemate.

Vesicatorium externæ fauci applicatum; continuatus gargarismus; enema repetitum. In jentaculum paululum panis emolliti, in prandium jusculum tenue, nulla cœna, adhibebatur.

DIES SECUNDUS.

Febris moderata dum æger quiescit: intensus capitis dolor, et dextræ auris: excreatio perpetua: fauces, quæ sub conspectum cadunt, inflammatae

sunt, at ne multum tumefactæ, sed cum externo tumore. Os non potest aperire : utitur gargarismo : plures habet sedes injectionibus.

Molestissima deglutitione, pauxillum panis cum thea in jentaculum, tenue jusculum in prandium, et emollitum panem in cœnam, difficulter adhibuit.

Quando parvulum cochlearium nutrimenti æger detruferat, in gutture penitus inhæsit, et ulterius, omnibus viribus deglutitionis enitis, non propelleret : cochlearium alterum detrusum, violentam instanter infert convulsivam tussim, quæ, sub gutturis obstructione, miserè cibi partem detrusit, atque reliquam cum plurimo viscido muco rejecit. Et omne nutrimentum, eodem molimine ac discrimine, æger deglutiverit.

DIES TERTIUS.

Deglutitio valdè læsa : capitis dolor violentus : pulsus et respiratio ægri motu agitata : gingivæ teneræ, maximè tenacis salivæ, vel muci, cum magna excreatione, ab ore et lingua, quæ crusta fordida, tecta sunt : fauces inflammatae etsi non magnoperè tumidæ.

Recepit aquæ calidæ et aceti vaporem in os.
Sedem habuit enemate.

Pauxillo nutrimento ut heri, deglutito pari difficultate atque dolore.

Hora quinta post meridiem, Antimonii Tartarifati grana quinque, partitis vicibus, deglutiebat.

HORA DECIMA POST MERIDIEM.

Operationem nullam antimonium tartarifatum produxit, anxietate intolerabili excepta.

Pulsus frequens et fortis, cum pulsatione in pectore atque dorso.

Sanguinis uncia duodecim, ex brachio emissæ, præbuerunt levamen. Minus semihora iterum recruduerat febris, pulsu forti et frequenti. Magis septem uncia sanguinis detractæ erant, cum magno solamine. Nuchæ amplum vesicatorium applicatum, et alvus soluta enemate.

DIES QUARTA.

HORA OCTAVA ANTE MERIDIEM.

Sanguis tenui corio tectus : tota nocte anxietas nimia, antimonii tartarifati solum effectum : cephalæ violenta : febris diminuta : excreatio copiosa muci, aut salivæ perquam viscidæ, ab ore et gutture : pauxillum nutrimentum deglutivit, sed summa difficultate.

HORA SEPTIMA POST MERIDIEM.

Dolor capitis nequaquam mitigatus. Tenue jusculum cum pane prandio. Deglutitio dolentissimè redditur non tantum, sed et fere impossibilis omnino : vesicatorium ad votum respondit : alvus soluta enemate.

DIES QUINTUS.

HORA OCTAVA ANTE MERIDIEM.

Pulsus et respiratio moderata, verum ægri quolibet motu accelerata : intensus capitis dolor : ma-

nè, iterati conatus nutrimentum deglutire, tantùm non ægrum suffocabant.

Viginti quatuor unciaë lactis, è vacca tepentis, per anum injiciebantur citatim ; ne guttula hujus revertit.

In poculum figulinum, sine ansa, locatum in pollubro, aquæ bullientis circiter libræ duæ affusæ, et aceti duæ unciaë additæ. Infundibulum super poculum positum, atque mantili plicato tectum, cujus limbus cautè involutus circa infundibuli tubum, quem æger tenet in ore per semihoram.

Frequenter, in aqua calida, manus ad carpos immersæ erant. Et sæpissimè lac tepidum dilutum tenebat in ore.

HORA NONA POST MERIDIEM.

Motu, properatus pulsus ac respiratio : capitis dolor nunquam tam violentus : excreatio magna, ab ore, mucii viscidi.

Hora secunda post meridiem fortis jusculi, et hora octava vespertina lactis è vacca tepentis, utri-

usque libra una per anum injiciebatur. Retinuit omnia : sedes nulla hodie.

Aquæ ferventis vapore usus fuit bis de die, semihoram singula vice ; et per id tempus usurpato pediluvio, cruribus constanter madidis ad genua.

DIES SEXTA.

HORA OCTAVA ANTE MERIDIEM.

Ob immanem dolorem, deglutitio penitus impedita : excrucians capitis dolor, qui externis refertur integumentis, quæ tactu dolent.

Præterita nocte, aquæ bullientis exhalatio bis usurpata, singulis vicibus per semihoram. Ut, facile rotatur infundibulum, vaporem dirigit æger, ad arbitrium, per sinciput, in aurem, et ad externam faucem. Manè, jusculi fortis injecta libra una per anum.

HORA DECIMA POST MERIDIEM.

Duo alia jusculi enemata recepit. Balneo vaporeoso omni quadrihorio usurpato, paulo post semper expectorabatur mucus concoctus.

Faciliùs aperit os. Fauces minus inflammatae : cephalalgia maximè excrucians : adhibitum pediluvium, ut heri vespere.

Gummi guajaci, grana quindecem, subtilis pulveris, summis angustis deglutivit, in syrupo, cum pauxillo feri vini albi,

DIES SEPTIMUS.

HORA OCTAVA ANTE MERIDIEM.

Cephalea nequaquam mitigata : minimo ægri motu, pulsus et respiratio accelerantur. Adhibitum vaporis balneum bis per noctem. Manè, recepit jusculi enema : Grana quindecem gummi guajaci, ut præterita nocte, cum jusculi tenuis pauxillo, difficillimè deglutivit : per triduum sedes nulla.

HORA PRIMA POST MERIDIEM.

Enema purgans accepit, et lac coagulatum purgavit, cum aliquot fœcibus albis : Dolor capitis mitigatus.

HORA DECIMA POST MERIDIEM.

Duo alia enemata jusculi acquisivit ; et, per tres vices, balneum vaporosum ; cum pediluvio, hora somni. Minor faucis externæ tumor : cephalæa moderata : ex ore et gutture, excreatio viscidæ salivæ molestissima.

Per aliquot dies, tenuis decocti fructus caricarum, vel uvarum passerarum, gargarismos anteposuit ; in cujus singulis libris, grana decem salis ammoniaci erant soluta.

Accepit gummi guajacum ut antea.

DIES OCTAVUS.

Faciliùs aperit os : adhuc, sordida crusta tecta sunt os et lingua : plurima mucî excreatio viscida, ab gutture ac ore. Mitigata cephalalgia : pulsus et respiratio moderata, dum æger quiescit.

Gummi guajacum cepit ; et tenue jusculum, minori difficultate deglutitum quàm per ultimos quatuor dies : usus fuit vaporoso balneo, bis per noctem.

HORA DECIMA POST MERIDIEM.

Hodie, pauxillum nutrimentum frequenter deglutivit : aliquot fæces albas evacuavit : meliùs se sentit : usus est balneo vaporoso ter de die, et pediluvio ad noctem.

DIES NONA.

Nocte, tusse erat affectus, concoctum mucum expectoravit ; et, foetidi puris fusci coloris, circiter duo cochlearia parvula, cum præsentì levamine. Bis per noctem vaporoso balneo utebatur, et, singula vice, concoctum mucum, cum pauxillo puris expectorabat. Reddit ei alvus : sedimentum, urina deponit. Copiosa perspiratio : frequentissimè utitur gargarismo : deglutitio penitùs libera : bene se habere existimat, et morbum curatum.

OBSERVATIONES.

SINE ullo rigore, horripilatione, vel pulsus velocitate, merè ut topica affectio, hæc angina ingruit viro, qui, in tota vita, nunquam passus fuerat inflammatoriam anginam.

Si, lecto æger fuisset detentus, à primo morbi impetu, et perspiratio æquabiliter sustentata, an, præventum fuisset multum doloris atque molestiæ, et æger citiùs curatus?

Mercurius præcipitatus cinereus, adhibitus ut purgaret, sed inopinatè salivans, multùm addidit oris gutturisque inflammationi, et excreationi muci.

Postridiè manè, præ doloris acerbitate ac faucium irritabilitate, Sodæ vitriolatæ solutionem, Tamarindorum cum Senna infusum, vel aliud quidquam Catharticum, ore haurire nequit æger. Et, omnis alvi subductio, enematibus, erat solùm efficiendā; quod, plenè, absolvebatur.

Relatione secundæ diei, fauces, quæ sub conspectum cadunt, erant inflammatae, sed non admodum tumidæ. Tametsi, maximè cruciata et

difficilis erat deglutitio; atque nutrimenti major pars super gutture detrusa, respuebatur violenta tussē convulsiva.

An, affecerat inflammatio pharyngis partem inferiorem? an, œsophagi apicem?

Quòd, glottidis rima, et larynx, inflammatione non erant affectæ, apparet à liberâ ægri respiratione, durante morbo.

Ut febrifugum, atque certissimum generale evacuans remedium, adhibebatur antimonium tartarifatum; verùm, in hoc casu, manifesta nulla operatione sequente, ineffabili anxietate excepta.

An, hoc conferebat augere magnum febris gradum, qui, in paucis horis, ejus exhibitionem sequitur? Quomodo? Num, insequente die, febrim postremo mitescere adjuvit?

Vel, est illa mitigatio, largæ missioni sanguinis, vesicatorio, et enemati, in totum ascribenda?

Quamvis, ad quartum et quintum morbi dies, mitigata erat febris, certè systema manebat tam irritabile, ut pulsus et respirationis velocitas nata erat, ex ægro se in latus vertendo, lavando os at-

que guttur, sedendo in lecto, vel surgendo naturæ obedire.

Hoc tempore, ut deglutire æger non potest, pernecessarium fiebat, nutrientibus, et frequenter repetitis, enematis, eum sustentare : et, quacunque ratione, fluidorum in corpus absorptionem promovere, ut caveatur nimia corporis exsiccatio, et prævertatur sanguinis putredo omniumque humorum, cibi ac potus defectûs consecutio inseparabilis, vel in salute vel in morbo.

Ad hunc finem, manus ejus ad carpos sæpissimè erant in aqua calida immersæ : frequentissimè tenebat in ore, lac tepidum dilutum : omni nocte pediluvio utebatur per semihoram, cum cruribus ad genua assidue madidis.

Sed, ferventis aquæ vapor ægro gratissimus erat, et, in sua opinione, utilissimus ad anginæ curationem. Quo, plerumque, utebatur omni quadrihorio, noctu diuque, durante morbo, et singulis vicibus per semihoram. Instantèr reprimit molestissimam excreationem, perquàm viscidum muci, qui perpetuò fluit ex ore ; reddit salivam frigidulam ; et nunquàm tussim excitat.

Dum tubum infundibuli tenet in ore, semper

conatur solùm per os inspirare, et per nares exspirare. Nequaquam, ori vel gutturi, injucundè calidam sentit exhalationem. Sin autem, super finciput, in aurem, vel ad externam faucem, fluentum vaporis vertit, nimis calidum percipit, et statim caput amovet ad gratam distantiam. Externis faucibus sentit imprimis utilem.

In hoc morbo, fomenta atque cataplasmata crebrò externè applicantur; priora, frigori exponere ægrum, madidare vestitus, et ingrata esse, inveniuntur; posteriora citò frigescent, etsi sæpè renovata, nunquam firmiter et æquabiliter dant calorem requisitum, et adhuc magis quàm fomenta ingrata sunt.

Annon, est aquæ ferventis vapor, omnibus his incommodis immunis, et, singulo beneficio commodoque præditus, à cataplasmatibus atque fomentis expectanda?

Momento, applicetur vel amoveatur. Et, sua perceptione, æger, uniformiter, stabilem caloris gradum, per ullum spatium, adhibere queat; ac inde major resolutionis vis producat.

In arduo et periculoso morbo, remedium quod

semper fert levationem atque solamen, et indicationi curationis est consentaneum, sæpè usurpabitur vel ab ægro vel ab medico.

In hoc casu dolor capitis molestissimus erat. An, ortus sit à febre? cùm febris moderata, cephalea sæpè erat excrucians. Num, sit symptomaticus, à ventriculo oriens? An, excitabatur à sympathya cum ventriculi nervis, cibi potusque magna deprivatione, succo gastrico, fortasse bile, injucundè affectis? Simul ac æger nutrimentum deglutiret, nullus capitis dolor erat.

Dum, per biduum, fæces albas dejecit, an, bilis erat, in vesica fellea, à summa ventriculi inanitate, accumulata?

Os facilius æger aperuit, faucium inflammatio mitigata, concoctus mucus expectoratus, antequàm deglutitio tentata gummi guajaci, etiam quater repetita; attamen sine ulla operatione manifesta; Siquidem, quid profuerit?

Nonne, acidi gargarismi acresque, in hoc morbo, obsunt? num, medicamentum ullum profit, quod, dolorem et irritationem, dat faucibus inflammatis? Si, blandi gargarismi tepidi, usus continens, ægro solamen præbet,

Nonne, est id folamen, utilitatis ejus, optimum tentamen, et incitatio in ejusmodi usu perseverare? Etiam, ribesiarum nigrarum succus spissatus, in hoc casu, faucibus dolorem fert, et vitabatur.

Visciditatem muci ab ore ac gutture, solutus erat sal ammoniacus in gargarismis, attenuare.

Inter octavam et nonam diem perfecta evenit crisis, cum pauxillum puris foetidi, muco concocto, erat expectoratum. Anne, suppurationis parvas, exhalationum aquae ferventis potestati resolventi, est tribuenda? Si, maturè applicata fuerat, et firmiter usurpata, illa exhalatio, num, in toto, praeventa esset suppuratio?

In partibus admodum vicinis laryngi, atque glottidis rimæ, summo periculo, suppuratio nunquam non comitatur; et eam prævenire, quodcunque remedium præcipuè tendat, benigna inflammationis resolutione, omnis medici, præ reliquis attentionem promeretur.

Insigne commodum acceptum ab aquae ferventis vapore, hic vir semper gratè meminerit.

Si, curationis processus supra dictus non rite tractatus fuit, me solùm culpandum ingenuè agnosco.

A Naturæ communis fragilitate de suis rebus adversis pronæ fuisse loqui, haud scio an opus sit addere, quòd proprium casum descripsi.

FORTASSE dicatur, medicamento piperato, apud multos in magna laude habito, hæc angina, in initio, fuisset curata. Formulam sequentem, jamdudum nactam, in meo casu, maturè tentare in mentem non venit. A propria experientia, ejus vim, finitè, dicere nequeo. Sed, paululum tantum tempus perdidetur, in statu anginæ inflammatoriæ nascenti, efficaciam ejus probare. Nam, si non concedit morbus, magis magisque pro ratione quantitatis datæ, tam calidi remedii; an, tutum esset perstare in usu ultra paucas horas?

R.

Piperis nigri,
Caryophillæ aromaticæ,
Piperis caryophillæ aromaticæ,
Radiciis zingiberis,
Radiciis curcumæ,

Singulorum partes æquales, in pulverem tenuem tritas.

Misce, fiat electuarium cum melle. Parvulum
detur cochlearium in semihoras, ore quieto con-
tinendum, ut lentè lique scat.

FINIS.